Para. s.º domin.º ocalmeria. Una missa. 13.

151



Hęc sunt acta capituli generalis Romæ celebrati. In conuentu. S. Mariæ super Mineruam, in festo Penthecostes. Anno Domini. M.D.L.VIII. Die. XXVIII. Maij. Sub reuerẽdissimo pater. F. Vincentio Iustiniano, Sac. Theologiæ professore, Magistro generali, ordinis prædicatorum, in eodem capitulo vnanimiter electo, Diffinientibus communiter Reuer. Prouin, & diffinitoribus, videlicet.



F.Ioanne baptista Clarino, prouinciali Vtriusq; Lombardiæ.
F.Angelo Bettino, de Florentia, Prouinciali Romano.
F.Nicholao Michelotio, Prouinciali Regni.
F.Bartholomæo de Vincentia magistro, Prouinciali Græciæ.
F.Paulo Veneto, Prouinciali Terræ sanctæ.
F.Petromartyre, Coma magistro Prouinciali Aragoniæ.
F.Placito Spalaten. magistro, Prouinciali Dalmatiæ.
F.Thoma Fazelo magistro, Prouinciali Trinacriæ.
F.Martino de Mendoza magistro, Prouinciali Bethicæ
F.Antonino Portio magistro, Prouinciali sancte Thomæ.
F.Aurelio de Bisiniano magistro, prouinciali Calabriæ.

F.Ioanne de Ludenia magistro, Diffinitore Hispaniæ
F.Claudio Estiuentio magistro, Diffinitore Franciæ.
F.Ioanne Babtista de Tabia, Diffinitore Vtriusq; Lombardiæ.
F.Angelo Diaceto, Diffinitore Romano.
E.Alphonso de Neapoli magistro, Diffinitore Regni.
F.Luca Leopolien. Baccalaureo, Diffinitore Poloniæ.
F.Hieronymo Triuisano Veneto, Diffinitore Græciæ.
F.Antonio Forliuiensi, Diffinitore Terræ Sanctæ.
F. Martino de Aianzo magistro, Diffinitore Aragoniæ.
F.Cypriano Polono. Diffinitore Boemiæ.
F.Georgie Antiquario Pharen. Diffinitore Dalmatiæ.
F.Hieronymo Fazelo magistro, Diffinitore Trinacriæ.
F.Antonio de Azeuedo, Diffinitore Portugalliæ.
F.Dionisio de Sanctis magistro, Diffinitore Bethicæ.
F.Godofrido de Mirlo, Diffinitore Germaniæ inferioris.
F.Iacobo de Luceria magistro, Diffinitore Sancti Thomæ.
F.Augustino de Zagaresio magistro, Diffinitore Calabriæ.

152

Frater vincentius Justinianus totius ordinis prædicatorum Generalis magister & seruus, Vniuersis eiusdem ordinis professoribus. Salutem.





OGITANTI michi ac tanquam ob oculos meos, interim subindeq; ponenti, dominicani nostri ordinis (cui equidem compures ab hinc annos me totum, addixi, cuius ue mihi regēdi nuper habenas, vltra merita, viresq; nostras, communi vestro suffragio, imposuistis) luridam ac funes tam speciem, eo in statu videri solet: vt non absq; ingenti negocio, diuinaq; ac peculiari quadā vi & ope reparari queat. Cuius rei decursum totum, nostræ inquam religionis initia, medium & extrema, varium illud ac multiforme, Regis Babylonij, symulacrum, peregregie delineat. Erat illi caput aureum, pectus argēteum. Femur æneum, crura ferrea, pedes autem ferrei ac fictiles. Nonne (amabo) P. sacerrimi huius nostri ordinis caput aureum fuit? non fuit aureum? Imprimis pater noster Dominicus illius autor, omnibus plane numeris absolutus deinde illi proceres, illa totius orbis lumina, non fuerunt aurea? Cum omni & sapientiæ & sanctitatis genere fulgerent, nulla illis ærugo inerat, labes nulla. Purum vndiq; ac syncærum aurum, cum toto Deum corde diligerent, & perinde ac se ipsi, cæteros. Erat illis aurum optimum, non ferrugine infectum, non scissura fractum, non pondere mancum non attonsum, aut resectum giro. Erat illis aurum optimum, excoctum igne, probatum incude ac malleo, non streperum ictuque dissonum, at molli suauiq; tinnitu permulcens aures. Erat aurum optimum ad lydium illum lapidem idest Christum cui iugiter conformari studebant, spectatissimum; Erant siquidem vitæ inculpate atq; hæroicæ. non frangebantur aduersis, nec intumescebant prosperis, in vtroque fortuna constantes. Non retaliabant iniurias, non reddebant malum pro malo, amicos iuxta ac inimicos pari amoris nexu complectentes, sitiebant quoque martyrium, tantum abest, vt illud metuerent aut exhorescerent. Impetebant heræticos increpabant impios, excibant pios, inhyabant sacris literis, quas nocturna versare manu, versare diurna, haud vnquam cessabant. Tyrannorum ac perditorum hominum contusi malleis, non queru-

las voces ædebant, sed æque ac mitissime oues, miti quasi balatu, pastorem implorabant. Vnde factum est, vt breui temporis curriculo innumera sanctissimorum ac doctissimorum virorum, exinde multitudo eluxerit. Caput igitur aureum fuit. At paulatim (quæ est humanæ imbecillitatis conditio) ab auro, in argentum defluximus, refrixit porro charitas, & vt essent eloquio clari, & nonnulli doctrina candidi, spiritus tamen exilis erat, & si obseruabant maiorum canones, vsu potius, quã amore seruabant, aliud multo in recessu habentes, quam in fronte præseferrent. Deinde ad argento, in æs migratum. Noxia nanque subdolaque hypocrisis veræ bonitatis mentita faciem, tyrãnidem occupauit in multis, miserima irrepsit ambitio, qua præesse, quam subesse mallent, corrigere, quam corrigi, iubere quam iuberi, & pro interno ac singulari cultu externis ac picturatis vacare ceremonijs, ocio marcescere, tepiditate hærere. At quoniam ficta omnia celeriter tanquam flosculi decidunt, nec simulatum quicquam potest esse diuturnum, latens in pectore virus, & sub ouina pelle lupus, cælari diutius non potuit, affectus ille malus, prodiuit in medium, & pestiferum caput exeruit. Quando exultabant in rebus pessimis & gloriabantur cum male agerent, circumueniebant quoque iustos, ceu contrarios operibus eorum. Quid multis moror? Ita factum est, vt ab ære, ~~inferum~~ in ferrum transierimus, Facti sunt enim complures crudeles ac ferrei, qui nec blanditijs emolliri nec minis inflecti possint. Est igitur hæc ætas nostra ferrea, si acutius perspiciamus, Quid quod etiam, & in cænum descendimus atque ita sunt pedes statue idest Religionis nostræ, status vltimus, in plerisque terræ addictus, qui cælestiũ immemores, terrena duntaxat venantur, terrenam gloriam, ~~terrenu n gloriam,~~ terrenum fastum, terrenum honorem, terrenas delitias, denique terrenum thesaurum. Et perperea est ætas hæc nostra, ferrea simul ac terrea, o deplorandam calamitatem, o casum miserabilem, o Religionem dominicanã, tanto feruore erectam, tanto studio auctam, tanto sanctissimarum virtutum censu locupletatam. Quo te redactam conspicimus? Quo tempestatis prolapsam? Quis dabit capiti nostro. P. aquas, & oculis nostris fontem lachrymarum, vt triste ac lugubre fumus, pro merito ac dignitate defleamus, o flebilis & lachrymosa mutatio, Commutatum est aurum in argentum, argentum in æs, æs in ferrum, ferrum in lutum & cœnum, ita vt pristinę illius religionis ne vestigium quidem relictum videatur. At abstinẽdum est verbis, vbi opus est facto, nec lachrymę prosunt, vbi hostes immanissimi sunt. Adeste potius animo fauete ore, succurrite manu. Succurrat vobis tantisper, quo pacto euersa fuerit illius tyranni statua. Lapis

absq; manu excisus è monte, repente in illam impactus, percussit statuit, & in cinerē fauillamq; redegit. Arripiamus itaq3 & nos. P. lapidem, arripiamus lapidem, lapidem inquam illum angularem, qui fecit vtraq; vnum, lapidem præciosum electum, lapidem quem reprobauerunt ædificantes, non humano cōcretum semine, at diuina virtute formatum, ac de summorum patrū sumptum fastigio, ita in illum idest Christum abeamus, vt pro se quisq; lapis fiat æternæ structuræ idoneus, & in statuam pro se quisq3 irruat atq3 irrumpat, vt monstrum illud immane, ingens atteratur. Vos maiores, minores instruite, vos minores obtemperate maioribus, vos antistites inuitate subditos, vos subditi æmulamini antistites, vos bonarum artium studiosi, ita sciētiam capessite, vt charitatem ante ponatis, nō ignari, quod (iuxta Paulinum dogma) scientia inflat, charitas vero ædificat. Vos diuini verbi præcones, memētote semper, quod cæpit facere, mox docere, magis enim vrgent exempla quam verba. Quoniam docere facile est. Præstare autem difficile. Iacite vos o tyrunculi, futuræ probitatis fundamenta. Vos iuniores proficite indies, pugnātes cum antiquo serpente, vos enim manet gloriosus triūphus. Vos demum, veterani ac emeriti milites, culmen quod ascendistis, tenete mordicus, pariterq3 ad altiora tendatis. Huc demum omnes incumbite, huic animos neruosq3 intendite, huc iugiter anhelate. Id enim si præstiteritis, auferetur cœnum, dissipabitur ferrum, liquescet æs, conflabitur argentum, residebit dūtaxat aurum. Atq3 ita succedet ambitioni modestia cupiditati largitas, ac terrenorum despectus, fœditati honestas. Incuriæ sedulitas, ne solertia, torpori ac tepiditati feruore, & priscus ille agendi Deoque obsequendi status, aureumq3 illud caput reponetur. Accipite interim decreta nostra, doctissimorum patrum excussa iudicio. Quæ vt facillima obseruatū sunt ita etiam quam commodissima quibus alacriter (pro vestra benignitate colla subijcite. Bene ualete, & Deum pro nobis orate.

ℭ In nomine Domini nostri

Iesu Christi, & beatæ mariæ semper virginis, & beati Dominici Patris nostri, & omnium Sanctorum, & Sanctarum Dei.

INCHOATIONES.



INchoamus hanc, in capitulo. xij. primæ dist. de silentio, vt deletis verbis illis (omnes fratres vbiq; intus & extra silẽtium teneãt in mensa) vsq; ad illud (si quis autem hoc silẽtium fregerit, exclusiue, legatur sic, Omnes fratres in refectorio, vel vbicunq; totum conuentum vel maiorem eius partem simul comedere contigerit quomodolibet, semper silentiũ teneãt in mẽsa, nec ibidem loquãtur nisi de necessarijs ad mensã & vnica oratione breuiter & submisse, excepto prælato, siue eo, quem mensæ præesse contigerit. Qui de necessarijs pro seruitio mensę, vel proadmonẽdis fratribus loqui posit. Alibi autem, de licẽtia prælati loqui poterũt &c. Deinde sequatur, si quis autẽ. &c.

Confirmationes.

COnfirmamus hanc, vt in capitulo. iij. dist. ij. de electione prioris prouincialis, vbi dicitur de electione prouincialis fienda extra capitulum, q; tantum spectet ad priores Cõuentuales & ad prædicatores generales & duos fratres de quolibet conuẽtu, dicatur, & ad vnum fratrem de quolibet cõuẽtu, & vbi sequitur, & hoc idẽ pro qualibet electione prioris prouincialis (nouiter electos) dicatur nouiter electum, & addatur. Nisi confirmator præsens fuerit, vel in tam parua distãtia, q; ante dissolutionẽ prioris congregationis, potuerit de cassatione electionis prius factæ (si eam cassari contingat) nuncium peruenire. Tunc enim & secũda, & tertia (si opus fuerit) electio, ad eosdem pertinebit, & infra vbi dicitur. Vnus autem de illis duobus electoribus, illo anno in socium prioris cõuentualis eligatur, notetur conformiter ad supradicta, vt dicat: & ille electus supradictus sit illo anno socius prioris &c. Et hæc habet tria capitula.

Item cõfirmamus hãc, vt in capitulo. iiij. de electione magistri ordinis vbi dicitur, si autem in aliqua prouincia, prouinciale capitulũ fuerit cælebratũ, & in proximo festo penthecostes, electio magistri fuerit faciẽda. Diffinitor capituli generalis in anno diffinitorũ & socius eius, sint illo anno magistri ordinis electores. Subiungatur. In anno autẽ prouincialium, vel quãdo ex alia quacũq; causa diffinitor & socius, vel electores pdicti non fuerint electi, neq; suppetat tempus vel facultas vt eligantur, propter

quodcunque iudicio discretorum legitimum impedimentum, tunc duo de diffinitoribus præcedentis capituli prouincialis &c. Et hæc habet tria capitula.

Item cōfirmamus hāc in eodem capitulo vbi dicitur priori vero prouinciali eunti ad capitulum generale detur socius à diffinitoribus capituli prouincialis, addatur, Qui si priorē prouincialē impediri cōtigerit, quod ad capitulum generale in anno prouincialium nō accedat, loco ipsius, cū prioribus prouincialibus admittatur ad omnia tractāda & diffiniēda, & hæc habeat tria capitula.

Item cōfirmamus hāc, quod in capitulo. 19. primæ dist. de grauiss. culpa. Vbi dicitur grauissima culpa est, incorrigibilitas illius qui nec culpas timet admittere & pœnas recusat ferre, addatur, vel ex earum sæpius repetita inflictione, iudicio discretorum cognoscitur nō proficere, & infra vbi dicitur, si magis expediēs iudicatur, addatur, per magistrum ordinis vel capitulum prouinciale, & post verbum (expellatur) addatur, Quod tamē mature fiat, & ita vt appareant gesta cum toto processu & sententia in scriptis, & cum debitis subscriptionibus & sigillis. Et hoc, si talis sani capitis, & integri sensus vsque ad illam horam extitisse cognoscitur. Deinde sequatur quod habetur in fine capituli scilicet. Nullus autem cum habitu ordinis. &c. Demum quod supra dicitur. Si autem aliqui sunt &c. vsque ad verbū puniatur, inclusiue, inseratur, & hoc pacto capitulū illud compleatur, reliqua vero omnia demantur, & hæc habet duo capitula.

Item confirmamus hanc, quòd in secunda dist. capitu. octauo de capitulo generali, vbi dicitur, altera vice citra montes alternatim, addatur, de triennio in triennium, & quando sequitur, nisi Magistro & Diffinitoribus ex causa legitima quandoque aliud, videatur dicatur. Nisi Magistro cum Diffinitoribus vel cum discretorum maturo consilio ex legitima, & vrgentissima causa ilud alibi assignare, aut assignatum transferre, vel per annum præuenire, aut etiam prorogare, necessarium videatur & nisi obitus Magistri generalis acciderit. Quo eueniente, fiat sicut capitulo quarto, de electione Magistri ordinis est decretum, & vbi sequitur, prædicti autem vigintiquatuor prouinciarum Diffinitores duobus annis, & vigintiquatuor priores Prouinciales in tertio anno, dicatur, prædicti aut triginta vnius prouinciarum Diffinitores in duobus capitulis, triginta & vnus prouinciales in tertio capitulo &c. & capitulū. 7. de biennali vel triennali totum (vtpote super fluum) deleatur, & hæc habet duo capitula.

Itē cōfirmamus declarationē in præcedenti capitulo factam, videlicet quod cōuentus qui nūquam habuerūt numerū saltē sena-

rium fratrum vocalium, pro non conuentibus haberi debeant, & ab eis subtrahendum titulum prioratus, quem ex vi praesentis statuti sub trahimus(si tamen potest fieri sine scandalo). Qui autem aliquando numerum integrum habuerunt, & modo ad hoc redacti sunt, quòd quatuor fratres vocales cum priore non habent, permittantur interim gaudere titulo prioratus, socium vero pro electione prouincialis, pro capitulo prouinciali, nequaquam eligant, ꝙ si secus factum fuerit, totum sit irritum & inane.

Item confirmamus aliam declarationem in eodem capitulo auctoritate apostolica factam pro illis prouincijs, inquibus postulationes sunt in vsu ex verbis priuilegij dicentis, poterit prior Prouincialis confirmare vnum quem fratres petierint per suas literas, ly. per suas literas ita esse intelligendum, ꝙ in scrutinio electionis, postulationes ipse semper ponantur in capitulo, ante sui dissolutionem, ita quòd recedentibus scrutatoribus a bãco, nihil possit addi, vel minui, quòd si secus factum fuerit, totum sit irritum & inane. Si autem contingat scrutinium ipsum debere transcribi, postquàm trãscriptum fuerit scrutatores ipsum coram vocalibus iterum legant, & in oculis eorum sigillo claudant.

Item confirmamus aliam eiusdem capituli declarationem videlicet, Diffinitores capituli prouincialis (prout habetur in constitutionibus) in die praecedenti assignationem capituli, & omnes simul, non autem sigilatim esse eligendos nisi per nationes eligantur. Prouincialem vero postea in ipso capitulo eligi debere, Ipsos autem Diffinitores, statim post suam electionem habere locum super omnes fratres, inter se autem, secundum ordinem suorum graduum, vel conuentuum aut nationum dignitatem.

Item confirmamus, determinationem conuentuum, & vniuersitatem studij iã per duo capitula praecedentia approbatã, extra quas vniuersitates nolumus aliquem fratrem nostri ordinis cursum facere, seu graduari posse, & si secus factum fuerit, totum sit irritum & inane. Confirmantes etiam determinationem conuentus Iadren in prouincia Dalmatiae, in quo Baccalaurei eiusdẽ prouinciae possint legere sententias per quatuor annos, prout in praecedenti capitulo statutum fuit, & addentes conuentum Caesaraugustae in prouincia Aragoniae & conuentum ciuitatis Regum in prouincia sancti Ioannis Baptistae del peru, & conuentũ Auenionen. in congregatione Franciae.

Item confirmamus ordinationẽ factã in duobus praecedẽtibꝰ capitulis, ꝙ nouitij in minoribus cõuentibus recepti, nõ retineã-

tur soli aut bini in eisdem conuentibus, sed ad maiores mittātur vbi saltē in numero senario sub bono magistro educari possint, à cuius cura iuniores ante quadriennium nō remoueantur. Quae ordinatio, cum habeat tria capitula & admodum necessaria sit, praecipimus vt inuiolabiter obseruetur ab omnibus praelatis, Admonentes eosdem, vt nō sint difficiles recipere ad habitu eos qui petunt recipi, & idonei iudicantur. Super quo eorum conscientias, pro conseruatione ordinis qui continue decrescit, oneramus.

Item confirmamus ordinationem factam in duobus praecedentibus capitulis contra abusum vendentium, aut testantium cameras, inhibentes etiam expresse ne aliquis frater in mortis articulo, de re aliqua sibi ad vsum cōcessa, disponere praesumat, cum hoc manifestam praese ferat proprietatem, sed omnia, iuxta formam nostrarum constitutionum distribuenda relinquant, Irritum & inane decernentes, si quid secus ab aliquo attētari contigerit. Et licentiae datae in contrarium, non intelligantur in casu mortis, Quinimo omnes & quascunq; licentias, etiam à Reuerendissimis Generalibus quomodolibet concessas & traditas, sub quouis praetextu vel titulo testandi, retinendi, aut dispēsandi pecunias, quatenus ad hunc sensum (in casu mortis testādi, trahi aut intelligi possent, reuocamus, cessamus & annullamus, atq; cassatas, reuocatas, & nullas esse decernimus.

1 Item confirmamus ordinationes infrascriptas factas in praecedenti capitulo, vt (conformiter ad constitutiones nostras) in omni conuentu vbi sunt iuuenes, sit aliquis lector, qui eos doceat grammaticam vel artes, iuxta eorum capacitatem. Qui lectores ita tractentur, vt eidem officio incumbere possint. Sint etiam in conuentibus lectores casuum conscientiae, & assidue de ipsis collationes fiant. Aduertant etiam diligentissime (iuxta ordinationes tot capitulorum generalium) lectores & fratres, ne à solida sancti Thomae doctrina recedant, nouitatem sectantes. Qui vero contra praefati doctoris doctrinam, vel scripto temere aliquid dixerit, a offitio lectoratus depositus sit ipso facto, eōq perpetuo sit priuatus, super quo prouinciales diligentissime inuigilent.

2 Quod nullus promoueatur ad baccalaureatus gradum, nisi saltem per quatuor annos legerit in artibus, & nullus item ad magisterium promoueatur, nisi prius realiter legerit sententias, per quatuor annos, in aliqua ex vniuersitatibus designatis, & inde in capitulo generali, vel saltem prouinciali compareat, ac publice in ecclesia conclusiones theologicas defendat, q; si oppositum factum fuerit, pro non magistro in nostro ordine habeatur, exce-

ptis tamen studijs Parisien. & Louanien. in quibus, promouendi, cōsueta exercitia ab vniuersitate statuta seruabunt.

3 Quod nullus per quemcunque prælatum aut præsidentem nostri ordinis, promoueatur ad sacerdotium, ante completū vigesimum quartum suæ ætatis anuum, Authoritatem vero in huiusmodi dispensandi, soli Magistro ordinis reseruamus & nulli alij.

4 Quòd nullus prior prouincialis aut cōuentualis, nullusue præsidens, sub pœna grauioris culpę, recipiat fratres fugitiuos, aut vagabundos alterius prouinciæ sine licentia Prouincialis illorum, nisi inquantum charitas religiosæ hospitalitatis exigit, quosque (si deliquerint) capi faciant, & vinctos ad ipsorum prouincias, earundem prouinciarum sumptibus mittant, Addentes & mandantes omnibus fratribus nostri ordinis sub pœna grauioris culpæ, ne quis, extra terminos suæ prouinciæ aut cōuentus prædicet in nostris vel alienis ecclesijs, aut quæstum faciat, nisi de licentia Magistri ordinis, aut reuerendi prouincialis, aut prioris, in quorum terminis prædicare aut questuare contigerit.

5 Quòd fratres per literas apostolicas exempti ab ordine, non recipiantur, nisi eo modo, quo in actis præcedentis capituli statutum fuit, & quòd qui per quatuor annos extra ordinem quouis modo steterunt, non recipiantur, nisi de speciali licentia magistri ordinis, Addentes quòd huiusmodi ad ordinem reuertentes, etiam si non vt apostatæ, sed vt legitime dispensati reciperentur, non possint ante decem annos à sua receptione promoueri ad vllam ordinis dignitatem.

6 Quòd authoritas dispensandi fratres, vt maneant extra claustrum, tantum penes reuerendissimum magistrum ordinis resideat, irritantes quascunquè licentias, super hoc, à prouincialibus seu vicarijs hactenus concessas, inhibentes illis expræsse, ne ab huiusmodi extra ordinem manentibus aliquid pro recognitione (vt aliquando per abusum factum est) exigere vel recipere possint.

7 Quòd numerus patrum in nullo conuentu (excepto parisiensi ob multitudinem graduatorum) duodenariorum numerū excedat, & quòd patres conuentus ante ætatem 40 annorum nullatenus admittantur, his exceptis, qui patres de iure sunt vt supprióres, & principales lectores, & qui prioratū in eodem conuentu egerunt, declarantes, quòd post priorem, magistri primo loco debent computari in prefato numero duodenario, & subinde supprior, & baccalaureus ordinarius tantum, & sic successiue cæteri, prout iuris ratio postulat.

156

8 Quòd nullus frater nostri ordinis, ratione paternitatis aut alterius gradus, exemptionem prætendere possit à sequela chori ebdomadaria aut alijs grauaminibus ordinis, lectoribus, prædicatoribus, ac magistris in theologia actu legentibus aut prædicantibus duntaxat exceptis, circa quos consuetudines (non autem abusus) prouinciarum seruentur, sed omnes alij sint cōtenti dispensationibus suorum superiorum, quos tamē in domino hortamur, ac monemus, vt & ætatis & indigentiæ filiorum suorum, iuxta qualitatem personarum, rationem habeant.

9 Quòd prouinciales, aut vicarij non possint vicarios pro electione prioris facienda mittere ad conuentus, nisi in casu magnæ dissensionis electorum, siue cū in veritate cōuentus adeo sit destitutus hominibus, quòd nullus sit in eo, qui electionem dirigere sciat. Et nihilominus qui sic missus fuerit, careat voce passiua in eadem electione, quòd si secus factum fuerit, totum sit irritum & inane.

10 Quòd translationes, filiationum de vno conuentu ad alium, non possint nisi de consensu maioris partis filiorum vtriusq; conuentus respectiue, in conuentu præsentium fieri & de consensu Reuerendi Prouincialis, exceptis prouincijs desolatis.

11 Quòd reuerendi prouinciales prouinciarum in quibus non viget arcta regularis obseruantia, ad petitionem fratrum arcte regularem vitam seruare volentium, vel iubente Reuerendissimo magistro ordinis, teneantur sine difficultate assignare vnum vel plures conuentus in quibus, in veritate, secundum rigorem constitutionum viuere possint, & si in hoc, prouinciales, aut vicarij se difficiles præstiterint, aut facere negauerint, recurrant dicti fratres ad reuerendissimum Magistrum ordinis qui eis prouidebit (ne spiritum Dei contingat extingui), Prouiso tamen quòd in huiusmodi, nec vendantur vel alienentur, nec refutentur possessiones conuentuum, nec aliqua singularitas in habitus forma, vel qualitate inferatur, & conuentus, sub cura iurisdictione Prouincialis remaneant.

Confirmamus determinationem factam circa ordinem prouinciarum, hoc addito, quot restituimus prouincie Dalmatiæ, locum sibi in præcedenti capitulo præreptum à prouincia Trinacriæ absq; præiudicio iurium eiusdem prouinciæ Trinacriæ, & recensemus prouinciam Hibernie, anno 1536. à Paulo Papa. iij. separatam & erectam, & à Magistro ordinis acceptatam, damusq; ei locum inter ceteras. Quarum ordo talis est videlicet.

1 Prouincia Hispaniæ.	17 P. Saxonię.
2 P. Franciæ.	19 P. Trancarię.
3 P. Romana.	21 P. Scotiæ.
4 P. Vngarię.	23 P. Germaniæ,inferioris.
5 P. Angliæ.	25 P. Calabriæ.
6 P. Dacię.	27 P. Hiberniæ.
7 P. Terre sanctæ.	29 P. Sancti Ioannis Baptistæ del Peru.
8 P. Boæmię.	31 P. Sctí antõini đ nouo regno
2 P. Tololana.	18 P. Dalmatiæ.
4 P. Vtriusq; Lombardię.	20 P. Portugallię.
6. P. Regni.	22 P. Bethicę.
8 P. Teutoniæ.	24 P. Sancti Thomæ.
10 P. Poloníæ.	26 P. Sanctę Crucis Indiarũ.
12 P. Greciæ.	28 P. Sãcti Iacobi đ Mexico
14. P. Aragoníæ.	30 P. Sctí Vincẽtíj đ Chiappa

CONfirmamus omnes alías declarationes & ordinationes antedicti præcedentis capituli,& breuiarij atq; missalis correctionem prout ibidem expressum est.

Denunciationes.

DEnunciamus,omnibus ordinis nostri fratribus, Reuerẽdissimum Magistrum.F.Vincentium Iustinianum,in hoc capitulo,vnanimi omnium assensu in generalem magistrum totius ordinis nostri electum fuisse,eundemq; summo pontifici sanctissimo.D.N.Paulo papæ iiij.oblatum,ab eodem hilari vultu agnitum,& acceptatum fuisse.

Denũcia nus insuper, animi eiusdẽ reuerẽdissimi esse,vt vniuersa quotquot extant acta capitulorum generalium,in vnum colligat,ac impressioni mandet,& proinde mandamus cũctis.R. prouincialibus ac pręsidẽtibus cõuẽtuum, vt diligẽter inquirãt,an apud illos aliqua maneãt,pſertim ab anno 1309 vsq; ad 1509.& simplicem copiam illorum ad ipsum mittãt.

Denũciamus,in nostro diffinitorio fuisse cõclusum & decretum, quòd reuerẽdi prouinciales cum suo diffinitorio, vel cũ quatuor patribus prouincię,aut qui fuerũt aliquãdo diffinitores prouincialis capituli,delictis maioribus, & facinorosis hominibus posſit adhibere pœnas extra ordinarias (etiã trirẽmiũ) in delictis grauioribus apud seculares notis.

Declaratiões

DEclaramus quòd in capitulo secũdo dist.primę vbi dicitur: Quãdo nomẽ Iesu in choro,adiũgi & intelligi debeat sic.In choro & extra chorum vbiq; in cõmunibus lectionibus nominatur,& in cãtico(Te Deum laudamus)ad clausulam illam (quos pręcioso sanguine)eidem fratres reuerẽtiam faciãt, capite deuotius inclinato.

Item declaramus, fratres exeuntes à cõuentu sine licentia, vel cũ socio non sibi à prælato deputato, debere puniri eadẽ pœna, qua puniũtur in cõstitutionib⁹ hi, qui vltra terminũ sibi assignatum moram fecerint, vel sine licentia reuerti prçsumpserint prout exprimitur in capitulo de graui culpa.

Item declaramus, ꝙ in capitulo de itinerantibus, vbi dicitur, aurum, argentũ pecuniam, & munera, excepto victu & necessarijs indumentis & libris, nec accipient, nec portabunt, addi & subintelligi debeat (sine licentia suorum prelatorum) vt sit cõforme, capitulo de grauiori culpa.

Item cũ in capitulo. 8. dist. 2. Baccalaureis, qui legitime incorporati in vniuersitate, sententias solemniter legerint aut legunt, post suppriorẽ vbiq; in toto ordine loc⁹ detur, Declaramus eos baccalaureos seu prçsentatos, qui legitime incorporati nõ sunt in vniuersitate, & sententias non legerunt solemniter aut non legunt, non habere locum prædictum.

Admonemus reuerẽdos Prouinciales & omnes prçlatos ne permittant sibi subditos fratres prædicare bullas, & cogant eos (si eas prædicauerint) ferre pœnas in cõstitutionibus, capitulo de prçdicatoribus expressas, & præter hoc applicent omnia quç ex huiusmodi prçdicationibus acquisierint, communitati cõuentus in quo sunt assignati cui nos eas ex nũc applicamus & applicatas decernimus.

Item admonemus eosdem, ne permittant fratres deferre tunicas apertas quòdq; cogant fratres, qui pro obtinendis assignationibus aut officijs recurrunt ad personas extra obedientiã ordinis constitutas, adferendũ persoluendumq; pœnas excommunicationis & alias contra hos positas in constitutionibus, capitulo de itenerantibus.

Item admonemus omnes p̃sidentes conuentuũ qui habẽt p̃dicatores, vt faciant eos p̃dicare in ecclesia diebus festis totius anni vt paulatim assuefiat populus ad diuina, & instruatur, ac doceatur quç sunt christianæ religionis.

Item admonemus reuerendos Prouinciales ac p̃sidentes prouinciarũ, ne licentiẽt fratres à suis prouincijs, vel emitãt cũ habitu ordinis, sed eos (si deliquerint) in sua ꝓuincia puniãt, & petẽtibus exire à prouincia, nõ facile licentiã cõcedãt: nisi causa studij.

Item admonemus omnes fratres, ne facile discurrãt, aut vagẽtur, maximẽ soli, sed euntes extra terminos suorũ cõuentuũ, semper deferãt literas testimoniales, alioquin nõ recipiant in cõuẽtibus, nisi in necessitate, ꝑ vnã diem, seu vnũ & primũ hospitium.

Item admonemus vt seruetur antiqua ordinatio, quç iã est cõstitutio cũ habeat & declarata sit habere tria capitula, et est ꝙ sub

scriptiones cõmuniũ literarũ, non fiat priuatim, sed à simul adunatis subscriptoribus, & videntib⁹, seu legi audiẽtibus omnia cõntenta in literis quas subscribũt, alias sint irritæ, & null⁹ roboris.

Admonemus omnes fratres nostros, & eis omnibus ac singulis, sub pœna excõmunicationis latę sententiæ, à quo nõ possint absolui nisi à suis prouincialibus præcipim⁹, ne ad quodcũq; tribunal aut iudicẽ extra ordinẽ recurrãt cõtra fratres nostri ordinis, Declarãtes nũc pro tũc, eos qui recurrũt, & dãtes eis in his cõsiliũ aut patrocinium, incurrisse pœnas t m positiuas quam priuatiuas, cõtra excõmunicatos in cõstitutionibus appositas.

Admonemus omnes reuerẽdos prouinciales vel diffinitores, vt acta huius capituli legi & publicari faciant cum primũ peruenerint in suas prouincias, in singulis cõuentibus, & quod in mẽsa saltẽ semel qualibet ebdomada legi faciãt de cõstitutionibus.

Item admonemus eosdem, & p̃sertim qui vltra mõtes procedũt, & ex parte S.D.N. Papæ illis præcipim⁹, vt defferãt ad prouincias suas bullam cœnæ Dñi, eamq; legi, publicari, & declarari faciant in cõuentibus suarum prouinciarum.

Ordinationes.

AD tollẽda subterfugia eorũ qui cupiẽtes se ab ordinis disciplina subducere, prætextu quòd vi vel metu professionẽ fecerũt asserũt se nõ teneri ad religionẽ ordinam⁹, q̃ instãte pro fessione cuiuscũq; nouitij, aliquot ante diebus, Prior corã tribus (adminus) patribus, vocet nouitium, ac iuridice (si opus fuerit) protestetur eidẽ; q̃ liber est, & libere dicat, an timore coactione, aut violẽtia parẽtum aut cõsanguineorũ ingressus est ordinẽ & in eo volũtarie pseuerat, & vult profiteri. Et de his omnibus & eius cõfessione, fiat ãnotatio, vel in libro cõsiliorũ, vel alio ad hęc ordinato, cui annotationi tã nouiti⁹, quã dicti patres subscribãt.

Item ordinamus, q̃ qui de cætero abiurauerint tanq; de hære si vehemẽter suspecti, nõ possint à quocũq; etiã magistro generali, restitui aut promoueri ad aliquod offitiũ aut dignitatẽ, toto tempore vitæ eorũ sed permittãtur in humilitate deflere peccatũ suũ, irritũ decernẽtes quicquid in oppositũ factum fuerit.

Item renouãtes ordinationẽ sæpissime factã, ordinamus mandãtes sub pœna priuationis vocis actiue & passiue per quinquenniũ, q̃ nullus absq; licẽtia magistri, vel proucratoris ordinis, aut sui prouincialis in scriptis habita, veniat ad vrbẽ, exceptis ijs quibus propter cõuentus suarum prouinciarum ad quos vadũt necesse est inde transire, vel illo accedere.

Ordinantes quoq; mãdamus omnibus, & singulis cõuentuũ præsidentibus, vt intra sex mẽses ab horũ notitia (qui nõ habẽt) cõstruxisse & ędificari fecisse, qui vero habẽt, restituisse, & bene aptasse debeãt in suo ipsorum cõuentu carcerem, cum sera pessu

lo,& claue firmis & fortibus, priores vero qui id intra dictũ tempus realiter & cum effectu nõ pstiterint, in capitulo prouinciali careãt voce actiua,& nullomodo admittãtur ad illam.

Ordinamus, ex sententia. S.D. N. Papæ Pauli.iiij. declarãtes, ꝙ nullus sit, aut intelligi debeat electus, in priorem tam Prouincialẽ, ꝙ cõuentualem, nec in vicarium, nec in diffinitorem aut socium, qui solũ ex ui renũtiationis seu cessionis proprij suffragij seu voti, excessit meditatem eligẽtium, in quacũꝗ electione.

Restitutiõs

RESTITUIMUS In prouincia Bethicæ. F. Ludouicum de la Chica,&. F. Ludouicum de figueroa, Biecẽsem.

Trãslatiões

TRansferímus, In prouincia Bethicæ. Fratrem Hieronymum Clauiso à conuentu Palmen. ad conuentum Giennen. F. Ioãnẽ Baptistã ex prouincia Hispaniæ ad cõuẽtum Murcien. F. Eduardum de Irlanda, ex prouincia Angliæ, ad cõuentũ S. Dominici de sanct Lucar. F. Ludouicum de la Chica ex cõuẽtu Giennẽ ad cõuentum. S. Andree Vbeten.

Licẽtiæ promouẽdorũ.

IN prouincia Bethicæ, ad Magisterium. F. Dionisium de sanctis. F. Gabrielem Sãtoyo. F. Dominicum de sancto Bernardo, ad Baccalaureatũ seu præsentaturam. F. Ioannẽ de sancto Petro. F. Laurẽtium de figueroa. F. Gondisaluum, Arzinega. F. Andrea de sancto Ioanne. F. Gregorium de Casuela. F. Petrũ Arias F. Didacum de Villa lobos. F. Christophorũ de figueroa. F. Martinum de sanctis. F. Frãciscus de sancta Cruce. F. Dominicum de Scobar. F. Christophorũ de Auila,&. F. Gasparem de Cabrera, Ita tamẽ quòd habeãt locum, si & quãdo legerint sentẽtias solẽniter pro gradu & forma,& nõ aliter.

Approbationes.

APprobamus, Magisterium omnium qui in hoc capitulo per Reuerendiss. Magistrum ordinis promoti sunt videlicet. F. Dionisio de sanctis, prouinciæ beticæ.&c.

Cõmissiões.

COmmittimus Reuerẽdissimo magistro ordinis, curam prosequendi erectionem fabricæ pro hospitibus aliarum prouinciarum in vrbe.

Committimus Reuerẽdissimo magistro ordinis omnem nostram authoritatẽ in præmissis & circa præmissa & omnia alia, declarãdi, interpretandi, addẽdi, vel minuẽdi,& omnia & singula faciẽdi, quæ capitulum generale,& nos facere possumus, prout eius prudentiæ visum fuerit opportunum.

Suffragia ꝓ viuis.

PRo. S.D.N. Paulo Papa.iiij. qui dedit huic capitulo eleemosinam, quilibet vnam missam.

Pro sereniss. Regibus & principibus christianis, & pro pace inter eos componẽda, & bono statu reipublice christianæ, quilibet sacerdos vnam missam.

Pro illustrissimo & Reuerendissimo Cardinali Morono protectore ordinis, quilibet sacerdos vnam missam.

Pro illustrissimo & reuerendissimo Cardinali Alexandrino viceprotectore, quilibet sacerdos vnam missam.

Pro illustriss. & reuerẽdissimis. D. Cardinalibus, Garraffa & Neapolitano, & duce ac Marchione totaq; eorum generosa familia Garrafforum, quilibet sacerdos vnam missam.

Pro reuerendissimo. D. Archiepiscopo Toletano, qnilibet sacerdos vnam missam.

Pro omnibus benefactoribus, & his præsertim qui huic capitulo eleemosinas contulerunt, quilibet sacerdos vnã missam.

Pro statu & reformatione totius nostri ordinis, ac reuerendissimi Magistri generalis, cum eius societate, necnon pro reuerendo procuratore ordinis, quilibet sacerdos vnam missam.

Et vbi imponitur sacerdotibus vna missa, clericis semper letaniæ conuersis vero & laicis decies pater noster imponuntur.

Suffragia p defunctis.

PRo anima reuerendiss. D. Cardinalis. D. Matthæi de Vrsinis ex ordine nostro assumpti, qui perpetuã eleemosinã nostro generali capitulo in suo testamẽto reliquit, quilibet sacerdos vnam missam, Clerici septem psalmos penitentiales, laici. 25. pater noster.

Pro animabus fratrum & sororum nostri ordinis, quilibet sacerdos vnam missam, clerici septem psalmos penitentiales, laici. 25. pater noster.

Pro animabus eorum qui dum viuerent, per literas magistri ordinis recepti sunt ad beneficia ordinis, atq; alijs benefactoribus quilibet sacerdos vnam missam, clerici septẽ psalmos penitentiales, laici. 25. pater noster.

Concedit reuerendiss. magister ordinis, omnibus reuerẽdis Prouincialibus & diffinitoribus hui⁹ capituli, q vnusquisq; eorũ possit recipere ad ordinem & gratias eius vnũ ex ijs qui vsq; ad hanc diem fuerunt apostatæ vel dannati ad pœnas grauioris culpe, suæ prouinciæ, & in sua prouincia tantum, non tamen suspectum de fide.

Concedit idẽ reuerendissimus magister. ord. omnibus fratrib⁹ & sororibus ordinis q sacerdotẽ nostri ordinis, ad confessionũ audientiam, alias expositum, sibi in confessorẽ semel tantum eligere & ab eodẽ, de præteritis vsq; ad præsentium notitiam casibus, peccatis, excessibus & censuris omnibus absolui possint, à quibus. S. R. P. absoluere potest.

Capitulũ sequens quod erit prouincialium, assignamus in conuentu Auenionen. congregationis frãciæ, hinc ad tres annos, Anno videlicet. 1561. Dat. Romæ. Die. 4. Iunij. 1558.